



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Secunda Conclusio. Ex auium gestibus prædicere aliqua futura, quando mouentur ad aliquid agendum motu angelico, non est illicitum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

cognitionem quandam naturalem, & instinctum ad ea, quæ vitæ sunt necessaria, sicut sunt immutationes, quæ fiunt per pluuias & ventos, & alia huiusmodi. Sic S. Thomas loco citato, quem sequuntur S. Antonin. Turrecrem. Syluest. & alij. Ad huius conclusionis confirmationem facit illud Hieremiæ 8. Miluus in cælo cognouit tempus suum: turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui. Sic quædam aues quando frequenter garrunt, indicant futuram pluuiam. Sic grues & hirundines præsentunt futurum frigus hyemis, ac fugiunt ex partibus nostris, & aduentante calore æstatis, redeunt. Sic etiam experientia compertum est, quod quando perdices, aliæ aues, aut lepores, vel quædam alia animalia circa medium hyemis pinguiora sunt, longius erit frigus: quia natura hoc dictante, & quasi præfagiente, se impingunt. Hęc enim & similia cum sint naturalia & sensibilia, utpote ad conseruationem indiuidui necessaria; à dispositione cælestium corporum imprimuntur naturæ sensitiuæ animalium.

Secunda Conclusio. *Ex auium gestibus prædicere aliqua futura, quando mouentur ad aliquid agendum motu angelico, non est illicitum.*

VT patet in columba super Christum descendente: & in coruo, qui pauit Heliam:
& in

& in cete, qui euomuit, & eiecit Ionam. Sic S. Thomas & Doctores citati.

Tertia Conclusio. Ex motibus aut garritu auium futura, quæ non subsunt eorum natura, aut cælorum motui: prædicere non licet.

HANC Conclusionem probant sacræ literæ, canones & leges locis citatis. Quia sic futura prædicere, non potest prouenire, nisi ex pacto cum Dæmonibus, qui vtuntur motibus & vocibus auium ad deceptionem illorum, qui talibus intendunt.

Quarta Conclusio. Quæ dicta sunt de motibus & vocibus animalium, quantum ad futurorum præfagia, eadem locum habent in cæteris animalibus ratione carentibus.

QVIA similia similes est ratio. Dictis obstare videtur, quod legitur de Ioseph Genes. 44. cuius dispensator dixit: Scyphum, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet. Et ipse dixit postea fratribus suis. An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia? S. Augustinus in quæstionibus super Genesin
cap.